Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De sancta Cecilia

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

tinus dixerat impletur. Tunc beatus
Bricius papam adiit et vii. annis ibi-
dem permansit, quod in sanctum Martinum
deliquerat penitendo deleuit. Populus autem
Iustinianum prefecit, et hunc beatum Romam
misit ut episcopatum sibi hunc beatum defensa-
ret. Quo cum tenderet in ciuitate Vercelle-
si vitam finiuit, et Armenium loco eius
populus omnis prefecit. ¶ Septimo igitur
anno Bricius cum auctoritate pape
rediens vi. ab urbe miliario ho-
spitium accepit et Armenius eadem nocte
spiritum exalauit. Quod Bricius per reuelati-
onem cognoscens, ait suis, ut surge-
rent et secum ad tumulandum Turonen-
sem episcopum properarent. Cum igitur Bricius sedem
suam accepisset et vii. per modum annos pre-
fuisset et vitam laudabilem ducens xl-
vii. episcopatus sui anno in pace quieuit.

Cecilia quasi celi lilia, vel
cecis via, vel a celo et lia.
Vel Cecilia quasi cecitate carens, vel dicitur a
celo et leos quod est populus. Fuit enim celeste
lilium per virginitatis pudorem. Vel dicitur
lilium quia habuit candorem mundicie,
virorem conscientie, odorem bone fame.
Fuit enim cecis via per exemplum informa-
tionem, fuit et celum per iugem contem-
plationem, lia per assiduam operationem.
Vel dicitur celum quia sicut dicit Ysidorus ce-
lum philosophi volubile rotundum et ardens
esse dixerunt, sic et ipsa fuit volubilis
per operationem sollicitam, rotunda per
perseuerantiam, ardens per caritatem suc-
census. Fuit cecitate carens per sapientie splendorem.
Fuit et celum populi quia in ipsam tamquam in
spirituale celum populus ad imitandum in-
tuetur solem et lunam et stellas, id est sa-
pientie perspicacitatem, fidei magna-
nimitatem et virtutum varietatem.

Cecilia virgo claris-
sima ex nobili Romanorum genere
exorta et ab ipsis cunabulis in fide Christi
nutrita absconditum semper euangelium Christi gerebat
in pectore et non diebus neque noctibus a collo-
quiis diuinis et oratione cessabat suam-
que virginitatem conseruari a domino exora-
bat. Cum autem cuidam iuueni nomine Valeria-
no desponsata fuisset et dies nuptiarum
instituta esset, illa subtus ad carnem cili-
cio erat induta et desuper deauratis vesti-
bus tegebatur. Et cantantibus organis
illa in corde suo soli domino decantabat
dicens: Fiat domine cor meum et corpus me-
um immaculatum ut non confundar. Et
biduanis ac triduanis ieiuniis o-
rans commendabat domino quod timebat. Ve-
nit autem nox in qua suscepit una cum spon-
so cubilis secreta silentia, et ita eum al-
loquitur: O dulcissime atque amantissi-
me iuuenis, est mysterium quod tibi confitear,
si tu iuratus asseras tota te illud
obseruantia custodire. Iurat Va-
lerianus se illud nulla necessitate dete-
gere, nulla prodere ratione. Tunc illa ait: An-
gelum dei habeo amatorem qui nimio zelo
custodit corpus meum. Hic si vel leuiter se-
serit quod tu me polluto amore contin-
gas, statim feriet te et amittes flo-
rem tue gratissime iuuentutis. Si autem
cognouerit quod me sincero amore diligas,
ita quoque diliget te sicut et me et osten-
det tibi gloriam suam. Tunc Valerianus
nutu dei correctus ait: Si vis ut
credam, ipsum angelum michi ostende. Et
si vere probauero quod angelus sit, faciam
quod hortaris. Si autem virum alium dili-
gis, te et illum gladio feriam. Cui Ce-
cilia dixit: Si in deum verum credideris
et te baptizari promiseris, ipsum

inde ualebis. Vade igitur in tertium mi-
liarium ab urbe uia que appia nuncu-
patur et pauperibus quos illic inuenies di-
ces: Cecilia me misit ad uos ut osten-
datis mihi sanctum senem urbanum quoniam ad
ipsum habeo secreta mandata que perfe-
ram. Hunc dum tu uideris indica ei omnia
uerba mea. et postquam ab eo purificatus fueris.
et rediens angelum ipsum uidebis. Tunc
ualerianus perrexit et secundum signa que
acceperat sanctum urbanum episcopum intra
sepulchra martirum latitantem inuenit.
Cui cum ei omnia uerba cecilie dixisset. ille
manus ad celum extendens cum lacrimis
ait. Domine ihesu christe pastor seminator
casti consilii. suscipe seminum fruc-
tus quos in cecilia seminasti. Domine ihesu
christe pastor bone cecilia famula
tua quasi apis tibi argumentosa de-
seruit. Nam sponsum quem quasi leonem ferocem
accepit ad te quasi agnum mansue-
tissimum destinauit. Et ecce subito
apparuit senex quidam niueis uestibus
indutus tenens librum aureis litteris
scriptum. Quem uidens ualerianus pre ni-
mio timore quasi mortuus cecidit.
et a sene leuatus sic legit. Unus
dominus una fides unum baptisma. unus
deus et pater omnium qui super omnes et per omnia et
in omnibus nobis. Cum hec legisset dixit ei
senior. Credis ita esse an adhuc
dubitas. Tunc ille exclamauit
dicens. Non est aliud quod uerius sit credi
sub celo. Statimque illo disparente
ualerianus a sancto urbano baptis-
ma suscepit. et rediens ceciliam
cum angelo loquentem in cubiculo in-
uenit. Angelus autem duas coronas
ex rosis et liliis in manu habe-
bat et unam cecilie et alteram ua-

leriano tradidit dicens. Istas coronas in-
maculato corde et mundo corpore
custodite quia de paradyso dei ad uos
eas attuli nec umquam marcescent nec
odorem amittent. nec ab aliis nisi quibus casti-
tas placuit uideri poterunt. Tu autem ua-
leriane quia utili consilio credidisti pete
quodcumque uolueris. Cui ualerianus. Nichil
michi in uita extitit dulcius quam unicus
fratris mei affectus. Peto igitur ut et ipse
mecum ueritatem agnoscat. Cui angelus.
Placet domino peticio tua et ambo cum
palma martirii ad dominum uenietis. Post hec
ingressus tyburtius frater ualeriani cum ni-
mium rosarum sensisset odorem dixit. Mi-
ror hoc tempore roseus hic odor et liliorum
unde respiret. Nam si ipsas rosas uel li-
lia manibus meis tenerem non possent
odoramenta tante mihi suauitatis in-
fundere. Confiteor uobis ita sum refec-
tus ut putem me totum subito inmutatum.
Cui ualerianus. Coronas habemus quas tui
oculi uidere non preualent floreo colore
et niueo candore rutilantes. et sicut me
interpellante odorem sensisti. sic et si
credideris uidebis. Cui tyburtius.
Insompnis hec audio an in ueritate
ista loqueris ualeriane? Cui ualerianus.
Insompnis usque modo fuimus sed iam nunc in
ueritate manemus. Ad quem tyburtius.
Unde hoc nosti. Et ualerianus. Angelus dei
me docuit quem tu uidere poteris si bap-
tizatus fueris. et omnibus ydolis abre-
nuntiaueris. Huic miraculo de coronis
rosarum ambrosius attestatur in prefatione
sic dicens. Sancta cecilia celesti dono re-
pleta. ut martirii palmam assumeret ipsum
mundum est cum thalamis execrata. Testis
est ualeriani coniugis et tyburtii prouo-
cata confessio quos domine angelica ma-

in odoriferis floribus coronasti. Virgo virginem duxit ad gloriam, mundus agnovit quantum valeat devotio castitatis. Hec Ambrosius. Tunc Cecilia evidenter ostendit ei omnia ydola esse insensibilia et muta, ita ut Tyburcius responderet ac diceret: Qui ista non credit pecus est. Tunc Cecilia osculans pectus eius dixit: Hodie te fateor meum esse cognatum. Sicut enim amor domini fratrem tuum mihi coniugem fecit, ita te mihi cognatum contemptus faciet ydolorum. Vade ergo cum fratre tuo ut purificationem recipias et angelorum vultum videre valeas. Dixitque Tyburcius fratri suo: Obsecro te, frater, ut dicas mihi ad quem me ducturus es. Cui Valerianus: Ad Urbanum episcopum. Cui Tyburcius: De illo Urbano dicis qui totiens dampnatus est et adhuc in latebris commoratur? Hic si inventus fuerit cremabitur et nos illius in flammis pariter involvemur. Et dum querimus divinitatem latentem in celis, incurrimus furorem exurentem in terris. Cui Cecilia: Si hec sola esset vita, iuste hanc perdere timeremus. Est autem melior alia que nunquam amittitur, quam nobis dei filius enarravit. Omnia enim que facta sunt filius ex patre genitus condidit, universa autem que condita sunt ex patre procedens spiritus animavit. Hic igitur filius dei in mundum veniens verbis et miraculis aliam vitam esse nobis monstravit. Cui Tyburcius: Certe unum deum esse asseris, et quomodo nunc tres esse testaris? Respondit Cecilia: Sicut in una hominis sapientia sunt tria, scilicet ingenium, memoria et intellectus, sic in una divinitatis essentia tres persone esse possunt. Tunc cepit ei de adventu filii dei et passione predicare et multas congruitates passionis ipsius ostendere. Nam ideo, inquit, filius dei est tentus ut genus humanum dimitteretur peccato detentum. Benedictus maledicitur ut homo maledictus be-

nedictionem consequatur; illudi se patitur ut homo ab illusione demonum liberetur; spineam coronam accepit in capite ut a nobis sententiam auferat capitalem; fel suscepit amarum ut sanaret hominis dulcem gustum; expoliatur ut parentum nostrorum nuditatem tegat; in ligno suspenditur ut ligni prevaricationem tollat. Tunc Tyburcius fratri suo dixit: Miserere mei et perduc me ad hominem dei ut purificationem accipiam. Ductus igitur et purificatus angelos dei sepe videbat et omnia que postulabat protinus accipiebat. Valerianus et Tyburcius elemosinis insistebant et sanctorum corpora quos Almachius prefectus occidebat sepulture tradebant. Quos Almachius ad se vocans cur pro suis sceleribus dampnatos sepeliant inquisivit. Cui Tyburcius: Utinam illorum servi essemus quos tu dampnatos appellas, qui contempserunt quod videtur esse et non est, et invenerunt id quod non videtur esse et est. Cui prefectus: Quidnam est illud? Et Tyburcius: Quod videtur esse et non est, est omne quod in hoc mundo est, quod hominem ad non esse perducit; quod vero non videtur esse et est, est vita iustorum et pena malorum. Cui prefectus: Non puto quod mente tua loquaris. Tunc iubet adstare Valerianum dicens ei: Quoniam non est sani capitis frater tuus, tu saltem poteris sapienter dare responsum. Constat plurimum vos errare qui gaudia respuitis et omnia inimica gaudiis affectatis. Tunc Valerianus se vidisse ait glacialis temporis ociosos iocantes et operarios agricolas deridentes, sed estivo tempore dum advenisset gloriosi fructus laborum, gaudentibus illis qui videbantur vani, ceperunt flere qui videbantur urbani. Sic et nos nunc quidem

sustineant ignominiam et laborem. in
futuro autem recipiant gloriam et eternam mercedem.
Vos autem nunc transitorium secularis gau
dium. in futuro autem eternum invenietis interitum.
Cui prefectus. Ergo nos invictissimi prin
cipes eternum habemus luctum et vos persone
vilissime perpetuum sustinebitis gau
dium. Cui Valerianus. Homunciones estis
et non principes. tempore nati vestro morituri et
deo rationem pro omnibus reddituri. Dixit
autem prefectus. Quid verborum circuitu immoramur.
Offerte diis libamina et illesi absce
dite. Sancti responderunt. Nos deo vero cottidie
sacrificium exhibemus. Quibus prefectus.
Quod est nomen eius. Cui Valerianus. Nomen eius
invenire non poteris etsi pennis volaveris.
Prefectus dixit. Ergo Iupiter dei nomen
non est. Cui Valerianus. Nomen est homici
de et stupratoris. Ad quem Almachius. Ergo
totus mundus errat et tu cum fratre tuo
deum verum nosti. Valerianus respondit. Non solum
nos sumus sed innumerabilis multitudo
hanc sanctitatem recepit. Traduntur igitur
sancti in custodiam Maximi. Quibus
ille ait. O iuventutis flos purpure
us. o germanus fraternitatis affectus quomodo
ad mortem quasi ad epulas festinatis.
Cui Valerianus quod si crediturum se promit
teret gloriam animarum eorum post mortem
videret. Et Maximus. Fulminibus
igneis consumar si non illum deum confite
ar quem adoratis. si contigerit quod dicitis.
Ipse igitur Maximus et omnis eius familia ac
universi carnifices crediderunt et a sancto
Urbano qui illuc occulte venit bap
tisma susceperunt. Igitur dum aurora
finem daret. Cecilia exclamavit dicens.
Eya milites Christi abicite opera tenebra
rum et induimini arma lucis. Quar
to igitur miliario ab urbe sancti ad sta

tuam Iovis ducuntur et dum sacrificare nol
lent pariter decollantur. Tunc Maximus cum
iuramento asseruit se in hora passio
nis angelos vidisse fulgentes et
animas eorum quasi virgines de thalamo pro
cedentes quas in gremio suo in celum angeli
detulerunt. Almachius vero audiens
Maximum christianum effectum plum
batis tamdiu cedi fecit quousque spiritum
exalavit. Cuius corpus sancta Cecilia iuxta
Valerianum et Tyburtium sepelivit.
Tunc Almachius amborum facultates
cepit inquirere et Ceciliam tamquam Valeriani
coniugem coram se fecit astare iussitque
ut ydolis immolaret aut sententiam mor
tis acciperet. Cum autem ad hoc ab appari
toribus urgeretur et illi vehementer fle
rent eo quod puella tam decora et nobilis
vellet se morti tradere dixit ad eos. Hoc
bonum iuvenes non est iuventutem per
dere sed mutare dare lutum et accipere
aurum dare vile habitaculum et acci
pere preciosum dare breve angulum et ac
cipere forum pluridum. Si quis pro nummo so
lidos daret nonne velocius festinaret.
Deus autem quod accepit simplum reddet cen
tuplum. Creditis his que dico. Et illi.
Credimus Christum verum esse deum qui tale pos
sidet famulam. Vocato autem Urbano
episcopo ccccta et amplius baptizati sunt. Tunc
Almachius sanctam Ceciliam ad se vocans
ait. Cuius conditionis es. Et illa. In
genua sum et nobilis. Cui Almachius.
Ego te de religione interrogo. Et
Cecilia. Interrogatio tua stultum sump
sit initium que responsiones unas putat
in questione concludi. Cui Almachius.
Unde tibi tanta presumptio respondendi. Et
illa. De conscientia bona et fide non ficta. Cui
Almachius. Ignoras cuius potestatis

sum. Et illa: Potestas vestra est quasi uter vento
repletus, quem si acus pupugerit, omnis pro-
minens rigor pallescit et quicquid in se rigi-
dum habere cernitur incurvatur. Almachius:
Ab iniuriis cepisti et in iniuriis perseveras.
Cecilia respondit: Iniuria non dicitur nisi quod verbis
fallentibus irrogatur. Unde aut iniuriam
doce, si falso locuta sum, aut te ipsum
corripe calumpniam inferentem. Sed nos
scientes sanctum nomen dei omnino negare non pos-
sumus. Melius enim est feliciter mori quam in-
feliciter vivere. Cui Almachius: Ut quid
cum tanta superbia loqueris? Et illa: Non est
superbia sed constantia. Almachius dixit: Infe-
lix, ignoras quia vivificandi et mortifi-
candi mihi est tradita potestas? Et illa: Contra-
rietatem publicam probo te nunc esse mentitum.
Vitam enim viventibus tollere potes, mor-
tuis autem dare non potes. Es igitur minister
mortis non vite. Cui Almachius: Iam
depone amentiam et sacrifica diis.
Cui Cecilia: Nescio ubi oculos ami-
seris. Nam quos tu deos dicis omnes nos saxa
esse videmus. Mitte igitur manum et tan-
gendo disce quod oculis non vales videre.
Tunc iratus Almachius iussit eam ad domum
suam reduci ibique tota nocte et die iussit
eam in bullienti balneo concremari. Que quasi
in loco frigido permansit nec modicum
saltem sudoris persensit. Quod cum audi-
sset Almachius, iussit eam in ipso balneo
decollari. Quam spiculator tribus ictibus
in collo percussit, sed tamen caput eius amputa-
re non potuit. Et quia decretum erat ne
quartam percussionem decollandus acciperet,
eam semivivam cruentus carnifex dere-
liquit. Per triduum autem supervivens omnia que ha-
bebat pauperibus tradidit et omnes quos ad fi-
dem converterat Urbano episcopo commendavit
dicens: Triduanas mihi inducias

postulavi ut hos tue beatitudini com-
mendarem et hanc domum meam in ecclesiam conse-
crares. Sanctus Urbanus corpus eius inter episcopos
sepelivit et domum suam in ecclesiam ut ro-
gaverat consecravit. Passa est autem circa
annos domini CC. XXIII. tempore Alexandri
imperatoris. Alibi tamen legitur tempore Mar-
ci Aurelii qui imperavit circa CC. XX.

De sancto clemente

Clemens dicitur a cleos quod est gloria et mens, quasi gloriosa mens.
Fuit enim mens gloriosa, scilicet purga-
ta ab omni sorde, ornata omni vir-
tute et decorata nunc omni felicitate.
Que felicitas consistit in his, sicut dicit Augustinus
in libro de civitate dei, quod ibi esse nostrum non habebit
mortem, nosse non habebit errorem,
amare nostrum non habebit offensionem. Vel
dicitur a clementia, quia clementissimus et miseri-
cors valde fuit. Vel sicut dicitur in glosa-
rio: Clemens iustus, dulcis, ma-
turus, pius. Iustus in actione, dul-
cis in sermone, maturus in conversatione, pius
in intentione. Cuius vitam ipse in suo itinera-
rio scripsit, maxime usque ad locum illum
in quo a beato Petro in pontificatum suc-
cessisse ostenditur. Cetera ex gestis que
communiter habentur sumuntur.

De sancto clemente

Clemens episcopus ex nobili Romanorum prosapia or-
tus est. Pater eius Faustinianus, mater vero
eius Macidiana nuncupata est. Habuit-
que duos fratres, quorum unus Faustinus, alter
Faustus dicebatur. Cum Macidiana
mira corporis pulchritudine polleret,
frater viri sui libidinoso amore in eam
vehementer exarsit. Cum autem eam cotti-
die molestaret et ipsa ei nullatenus
assentire vellet, viro quoque suo hoc reve-
lare timeret ne inter duos fratres ini-
micitias suscitaret, cogitavit p